non repudiavit. Nec multo
post admonitus per soporem
ut patriam parentesque quos
adhuc gentilitas detinebat
religiosa sollicitudine visi-
taret, ex voluntate sancti Hilarii
profectus est, cum multis ab eo
abstrictus precibus et lacrimis ut
rediret. Mestus ut ferunt
peregrinationem illam aggressus est.
Contestatus fratribus multa se ad-
versa passurum, quod postea
probavit eventus. Et primo
inter alpes devia secutus
incidit in latrones. Cumque
unus securi elevata in caput
eius librasset ictum, ferientis
dexteram sustinuit alter. Vinc-
tis tamen post tergum mani-
bus uni servandus et custodiendus
traditur. Qui cum eum ad remo-
tiora duxisset percontari ab
eo cepit quis nam esset. Respon-
dit christianum se esse. Que-
rebat etiam ab eo an timeret.
Tunc vero constantissime pro-
fitetur numquam se tam fuisse se-
curum, quia sciret misericordiam
domini maxime in temptationibus affu-
turam. Se magis illi dolere
qui Christi misericordia utpote
latrocinia exercens esset in-
dignus. Ingressusque evangeli-
cam disputationem verbum dei
latroni predicabat. Quid lon-
gum? Latro credidit, pro-
secutusque martinum vie reddi-
dit, orans ut pro se dominum pre-
caretur. Idemque postea religio-
sam agens vitam visus est ut
hec que supra retulimus ab ipso
audita dicantur. Igitur martinus
inde progressus cum mediola-
num preterisset, dyabolus in i-
tinere humana specie assumpta
se ei obvium tulit, quo tende-
ret querens. Cumque id a mar-
tino responsum accepisset, se quo
dominus vocaret intendere, ait
ad eum: Quocumque ieris vel que-
cumque temptaveris dyabolus tibi ad-
versabitur. Tunc ei prophetica
voce respondit: Dominus michi
adiutor est, non timebo quid
faciat michi homo. Statimque
e conspectu eius inimicus eva-
nuit. Itaque ut animo ac
mente conceperat matrem
gentilitatis absolvit errore,
patre in malis perseverante.
Plures tamen suo salvavit
exemplo. Deinde cum he-
resis arriana per totum orbe
et maxime intra illiricum
pullulasset, cum adversus per-
fidiam sacerdotum solus pene
acerrime pugnaret multis-
que suppliciis esset affectus, nam
et publice virgis cesus est

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 224v – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/fr/vad/0070/224v)